





1
7
93









HENRICI MEIBOMII
AD
SAXONIÆ INFERIORIS IMPRIMIS HISTORIAM INTRODVCTIO

Book VII

I

In qua ab ultima notitia ad noſtra usq; tempora breviter ejus hiſtoria delineatur, & de plerisq; Rerum Saxonicarum ſcriptoribus editis & ineditis judicatur.



HELMESTADII,
Typis & Sumptibus GEORG-WOLFGANGI HAMMII, Acad. Typogr. Anno 1686.



LECTORI BENEVOLO

HENRICVS MEIBOMIVS
S. P. D.



Um initio hujus anni Academiæ Juliæ Regimen, à Reverendiſſimo & Sereniſſimo Principe ac Domino, DN. ERNESTO AUGUSTO, Epiſcopo Oſnabrugenſi, Duce Brunſv. & Lyneb. clementisſime mihi demandatum aggrederer, illudque ſolemni oratione auſpicandum mihi eſſet, nullum nobilius argumentum, quàm quod ipſum tempus, & labentes ad aures noſtras quotidie rumores, ſuppeditarent, deligere mihi potui. Scilicet, ingens tum erat ubique armorum apparatus, & Sereniſſimi Duces omnes, exercitus ſui, quem hactenus ad Patriæ, totiusque Saxoniæ, defenſionem

nem aluerant, magnam partem in Ungariam contra Turcos mittebant, ſubſidio Cæſari Auguſto, & tutandis orbis Chriſtiani limitibus, ne illi, ceu ante biennium cæperant, rapinis & incendiis omniâ implerent, perq; Ungariam Auſtriamque ipſi Germaniæ excidium intentarent. Cujus expeditionis arduæ neceſſitatem, juſtitiam, magnitudinemque exponere in proclivi quidem fuiſſet, non neceſſatium tamen, omnibus id ſcientibus & intelligentibus. Igitur in retro tempora, & Hiſtoriarum mihi aſſignatos campos, digreſſus nobili & eximiæ juvenum noſtrorum concioni expoſui, non nunc demum Expeditiones contra Turcos à SERENISSIMA DOMO ſuſcipi, ipſosque DUCES contra Chriſtiani nominis hoſtem militatum abire, ſed eſſe illum nobilem & entheum ardorem quaſi congenitum, & à ſexcentis & amplius annis nihil magnum penè contra infideles in Europa geſtum, cujus pars non fuerint: nullamque expeditionem ſuſceptam, quam non Duces noſtri virtutis & fortitudinis ſuæ documentis juverint, auxerint, illuſtrarint. Hanc ergo orationem, Auditorio tum accommodatam, & floſculis eloquentiæ exornatam, alio deinde ſtylo contexui, & verita-

tis ma-

tis magis, quàm suavitatis studiosus, ipsa Annalium verba, barbara sæpe & horrida, ad dicta mea probanda adduxi, quæque ad illustrationem argumenti facere videbantur, passim inserui. Et sic non indignam judicavi hanc narrationem, quæ ab aliis quoque legeretur, hocque potissimum tempore illam publicavi, quo non tantum Christianus orbis totus de tot victoriis contra Turcos obtentis sibi gratulatur, sed hæ imprimis regiones impensè lætantur, quod Serenissimum Principem ac Dominum nostrum, DN. GEORGIUM LUDOVICUM, magni illius exercitus Imperatorem, salvum sospitemque videamus rediisse,

— laurumq; superbam

In gremio Jovis, excisis deponere Pœnis.

Quando orationem illam habebam, inter spem metumq; adhuc anxii, & præteriti anni minus fausta expeditione trepidi, vota ad DEUM fundebamus omnes, pro salute Principum, Ductorumque, & totius exercitus incolumitate: nunc tamen, non adeo multis amissis, quos gloria immortalis manet, summis capitibus salvis, reducis exercitus

illius cunctos gratulabundi excipimus, qui periculum à Christianis aliis, nobisque, suo periculo depulerunt, Barbarisque irruituris generosorum corporum objectu viam occluserunt, receptaculaque illorum destruxerunt, & longius à nobis amandadarunt, ultra Danubii cum mari connubium mox propellendos. Maximas vero nunc eo nomine gratias debemus DEO Opt. Max. qui tot palmis exercitum nostrum beavit; qui non menses sed dies penè, victoriis urbiumque expugnationibus distinxit, ut, quæ initio belli hujus contigerunt, quæque superiori anno minus cesserunt feliciter, ad augendam hujus expeditionis magnitudinem, gloriamque, præcedere debuisse, arbitrer. Recensui ego ex Annalibus vetustis, quæ olim SERENISSIMA DOMUS contra infideles gessit: hæc ultima vero Expeditio Annales omnes, Fastoque omnes implebit, si qui erunt, qui dignè omnia memorabunt, æquatis cùm rei magnitudine cogitationibus, verbisque. Quod si Annales deficiant, homines tamen nepotibus suis narrare, & quasi manu tradere, non cessabunt, & ipsa loca rei testimonium perhibebunt. Veniet tempus, quo posteri visere, visendumque tradere minoribus suis

gestient,

gestient, ubi BRUNSVICO-LYNEBURGICUS exercitus ad Neuheuselium steterit, ubi opera sua primus admoverit, ubi muros disjecerit, ubi GEORGIUS LUDOVICUS sua castra habuerit, ubi sudores ejus campus hauserit, fortitudinemq; sustinere non potuerit hostis. Transibit in Orientem fama, & transgredietur mare, MAXIMILIANO WILHELMO in Peloponneso quoque victore, fataliaque sibi imposterum illà arma putabit Turca, quorum conjunctione factâ, Christiani vincere, Barbari fugere, Urbes expugnari, terræ & flumina jugum pati didicere. Crescet per has Victorias BRUNSVICO-LUNEBURGICÆ Domus gloria, suisque defendendis non impar censebitur, quæ aliis salva tecta, salvos focos, salva jura, salvam religionem præstare potuit. Non sine interiore sensu apud *Æneam Sylvium*, Senensem Cardinalem, qui postea sub Pii II. nomine Pontifex Maximus sedit, in ejus *libello de Statu Europæ sub Frider. III.* legi, quod, cum Serenissimos Duces Nostros *tota Germania nobilissimos esse*, *Ottonum sobolem*, scripsisset, deinde addat: *eorum claritatem, cum potentia, labente tempore defluere.* c. 14.

Nec

Nec negari forte poteſt, illo ſeculo decimo quinto multis de cauſis minus floruiſſe, minoremque inclytæ Domus potentiam fuiſſe; tanto vero magis nunc gloriari poſſumus de claritate & potentia adaucta, ſique nunc Cardinalis aliquis de Europæ ſtatu ſub Leopoldo I. ſcriberet, longe aliis verbis ſibi utendum eſſe facile intelligeret, potentiamque Domus non parvam eſſe, claritatem vero à Viſurgi & Albi ad Danubium fluere, & in Orientem ipſum usque propagari agnoſceret. Det *DEUS*, ut nunquam non poſteri noſtri idem dicere, & quoque de Principum noſtrorum piis & felicibus contra Turcam expeditionibus gloriari ſemper poſſint! Dabam Helmæſtadi in Acad. Julia xx. Novemb. A. CIↃ IↃC LXXXV.

Quo-



QVocunque oculos mentesque nostras convertimus, ingentem armorum apparatum, nec in longinquis tantum, ad Danubium, & Germaniæ nostræ extrema, audimus, sed ante oculos interque manus nostras cernimus, qui tamen non contra Imperii cognatos Principes, non in vicinos christianos Reges, aut Respubl. sed versus Turcam, illum terrarum prædonem, & Christiani nominis juratum hostem dirigitur, accensis cum in aliorum, tum Serenissimorum Ducum nostrorum pectoribus novo igne, ad Germaniam à truculenti vicini barbarie, & puram religionem, veramque de DEO ejusque Filio fidem à spurcitie Mahometica defendendam. Igne, inquam, novo: qui tamen à sexcentis amplius annis ATESTINO-GVELPHICÆ gentis Heroum animos in sedit, & quacunque occasione ita agitavit, ut gloriam DEI contra infideles, Saracenos, Turcosque omni ope viribusque & proprio sangvine tueri annisi fuerint. Quæ quidem mihi nunc ex Annalibus recensere, tantò voluptas major est, quo non tantum Serenissimorum DOMINORUM nostrorum, Ducum Regentium omnium, intentior cura est, ut magno, duodecim penè millium, exercitu, laboranti Hungariæ & vicinæ Ger-

 maniæ

maniæ ſuccurrant, ſed ipſi PRINCIPES JUVENTUTIS, magni ERNESTI AUGUSTI filii, GEORGIUS LUDOVICUS, Imperator Exercitus, & reliqui duo, FRIDERICUS AUGUSTUS & MAXIMILIANUS WILHELMUS, ipſo Sereniſſimorum corporum objectu, dirum hoſtem arcere nituntur, gloriæ æternæ litaturi. Dum ſcilicet Heroicos Patris & Cognatorum auſus: dum conſilia, pia magis, incertum, an prudentia, intelligunt, continere ſe generoſæ mentes nequeunt, quin ipſæ in partem gloriæ veniant, nec vel Patris provida monita, vel Matris preces, cariſſimo ſangvini, inter tot expeditionum bellicarum & præliorum pericula, metuentium, avertere animos, magnarum rerum avidos, potuerunt. Et quid Achillem remorari poterit ad Trojam iturum? Rapitur ſemper indoles excelſa ad ſimilitudinem eorum, à quibus fluxit, ſeculoque noſtro reddere GVELPHI volunt virtutes eorum, quorum ſangvine orti ſunt. Quod ſi igitur libeat alicui mecum in Hiſtoriarum campos exſpatiari, non ipſos tantum, ſed etiam antequam in hac Saxonia ſedes fixerunt ATESTINO-GVELPHI, & per matrimonia terrarum harum Dominia nacti ſunt, Uxorum Celſiſſimarum Majores piis hujusmodi bellis maximè inclytos fuiſſe inveniemus. HENRICUS ſane, AUCEPS dictus, qui inter Saxones, primus, ad ſummum Imperii culmen elatus eſt, & unde Gertrudis, Henrici Leonis mater, ſuam originem habet, bella tam fortiter, quàm feliciter plurima contra illos geſſit, qui nondum Chriſto nomen dederant, Chriſtianosque in hac Saxonia continuis bellis & deprædationibus infeſtabant, hinc quidem Dani & Slavi, inde vero Bohemi & Ungari.

Anno-

Annotavit hoc fide dignissimus scriptor *Adamus*, Canonicus Bremensis, qui sec. XI. historiam Ecclesiasticam scripsit, quemque plerique in talibus presso pede seqvuntur: *Henricus Rex* inquit *jam tunc à puero timens Deum & in ejus misericordiam totam suam habens fiduciam, Ungros quidem multis gravibusq; præliis triumphavit; item Bohemos & Sorabos, ab aliis Regibus domitos, & cæteros Slavorum populos uno grandi prælio ita percusfit, ut residui, qui pauci remanserant, & Regi tributum, & Deo Christianitatem ultro promitterent.* l. 1. h. ft. Eccl. c. 48. Quinam fuerint illi Slavorum populi, quibusque tum nominibus appellati, discere licet, non ex hoc *Adamo* tantum, sed *Helmoldo* imprimis, initio chronici. Nec minus eos distinctè appellat *Witichindus*, quibus *Continuator Reginonis* addit *Slavos Uncranos* ad An. 934. *tributariosq; ab Henrico factos* scribit; quod de suis Slavis accipit nuperus doctissimus *Carniolæ antiqu. & novæ* scriptor *Schönleben* part. III. putatque esse inferioris Carniolæ incolas die Unter-Crainer/ cum sint sine dubio ex Slavis nostris *Ucri*, qui nomen reliquerunt integræ Marchiæ, dictæ die Uckermarck. p. 439. De Ungaris imprimis observari meretur, eos, cum, ex ultima Schythia orti, via ubique ferro factâ, in Pannonia consedissent, cum alibi Germaniam rapinis & incendiis vastasse, & tributariam sibi fecisse, tum Saxoniæ quoque hoc tempore graves, ubique eam exscindere conatos, ita ut *Parochiam Bremensem Ungarorum impetu demolitam*, conqueratur modo laudatus *Adamus*, l. 5. c. 45. &, *quantam stragem fecerint, quanta monasteria succenderint, melius judicet silere* Witichindus, *quam calamitates verbis iterare.* l. 1. p. 10. Neque tamen, cum ferociam

sævæ gentis expenderet & militem suum inexercitatum illis sustinendis, nec numero etiam, parem, deprehenderet, totam Saxoniæ salutem dubiæ belli aleæ exponere voluit, sed prudente consilio inducias novennales pactus, ilio temporis spatio, cum alibi Barbaros minorum gentium subegit, tum patriam suam, excitatis passim urbibus castrisque, contra repentinas hostium incursiones munivit, & continuis exercitiis militaribus, quid contra hostes in bello agendum esset, pacis tempore cives edocuit. Frustra igitur deinde per Legatos suos à fortissimo Rege solita munera petierunt Ungari, illis non sine ludibrio & extrema ignominia remissis, cumque injuriam vindicaturi, ab omni parte Saxoniam gravi manu & numerosissimo milite invadere festinarent, non uno prælio victi sunt ab HENRICO, liberatis captivis plurimis, Ducibusque ipsorum vicissim captis, ceu narrat ea *Witichindus sub fin. l. 1.* aliis post illum, & locum pugnæ, & numerum cæsorum barbarorum, in prælio A. C. 934. commisso, plenius exprimentibus. Quibus tamen nunc missis, duo ex *Witichindo* addam, quorum alterum ad gloriam HENRICI, ad pietatem alterum pertinet. Victor enim reversus, liberata ab Hungaris Saxonia, *Pater Patriæ, rerum Dominus, Imperatorq; ab exercitu appellatus est*, &, cum antehac tributum Ungaris datum fuisset, exigi quidem illud à suis voluit, sed *Divino cultui mancipari, & largitionibus pauperum deservire*, insigni pietatis argumento, quam etiam, erectis variis Episcopatibus, uberius declaravit. Non tamen ita domiti fuerunt hac clade Ungari, ut non animis ex intervallo resumtis, prædæ dulcedine priora vestigia legerent, mortuo scilicet

p. 14. l. 1.

HENRI-

HENRICO, & succedente OTTONE filio, cui Magni nomen res fortiter gestæ pepererunt. Ejus enim virtutem inter crudiora adhuc regni initia, probaturi Franciam intrantes, ab occidente invadere Saxoniam tentaverunt, Ottonis tamen armis mox feliciter repulsi. Non diu post vero feroces & inquieti hi Barbari, occupato alibi Ottone, in Saxoniam, & hæc ipsa, quæ nos incolimus, loca, invasionem fecerunt. Quod quidem exponere ex illius ævi Annalibus, & simul miseram illius temporis faciem considerare, & quantum Ottoni M. debeamus, perpendere, fortassis non injucundum fuerit, pium certe. *Witichindus*, quem ex illo ævo optimum & fidelissimum scriptorem habemus, Corbejensis monachus, in suis Annalibus, irruptionem l. 2. p. 18. Barbarorum ita narrat, ut ipsa loca, quæ exercitu suo insederint, ante oculos nobis ponere non negligat. Disertè enim scribit, eos *super littus Bodæ fluminis castra collocasse*, meminitque Urbis *Stideraburg*, & Saltus *Thrimming*, unde facile conjicere licet, quousque Barbaros illos immanitas sua, in ipsa scilicet Saxoniæ nostræ interiora, detulerit. Saltus enim *Thrimming* non est alius, quàm qui hodie ad Oram & Alarim, in confinio Marchiæ veteris, Ducatuumque Magdeburgici, & Brunsvicensis, hodie accolis der Drömling vocatur: nec *Stideraburg* aliud intelligitur, quàm quod non procul à Wolfenbüttelo, validum quondam & contra Hunnos, si famæ credimus, primitus exstructum castrum, nunc solo cænobio virginum Deo dicatarum, eo in loco â Friderunda, Altmanni, Comitis Olsburgensis, filia fundato, *Stederburg* dicto, notum hodie est. Castrorum vero Hungaricorum, seu Hunnicorum (uti

tum confundebant imperitiores) super littus Bodæ fluminis collocatorum vestigia in nomine & ruderibus arcis ibi superesse, non vanâ conjectura arbitror. Non procul enim ab urbe Magdeburgo situm est *Unsburgum*, seu, ut in antiquis chartis vocatur, *Unnesburgum*, & à quibusdam scriptoribus *Hundsburgum*, ad Bodam fluvium, jam tum in Ottonis I. tabulis memoratum, Prædium hodie egregium, quod à Burchardo Archiepiscopo Magdeburgensi magna pecuniæ summa cœnobio suo emit Otto, Abbas Riddageshusanus A.C. 1032. ubi Castri alicujus rudera, antiqui operis, hodieque visuntur, quod, sive ab ipsis Hungaris, sive contra illos sub Henrico Aucupe exstructum, ab illis nomen habere, non dubito. Quomodo alterum Castrum, inter Magdeburgum & hanc nostrã urbem, tertio ab utraq; milliari, Hundsburg vocatum, illustris gẽtis Alvenslebiæ hodie sedes, ante ducentos annos per Ludolphum ab Alvensleben â Bussone de Wantzleben emptum, sine dubio quoque à Barbaris illis nomen accepit, & hodieque servat. Et possem fortassis pluribus illorum in his locis vestigia ex nominibus ostendere, quod tamen alio loco rectius fiet; nunc tantum, in ipsa urbe Magdeburgo ea non deesse, verbis Viri, harum antiquitatum peritissimi, *Georgii Torquati*, ex Annalibus Magdeburg. & Halberstad.
l. 3. c. 25. qui MSti penes me sunt, exponam. Cum enim de bello illo, tempore Ottonis M. gesto, disseruisset; *In his*, inquit, *tumultibus & terroribus Hungaricis extructam Turrim illam lateritiam vulgo perhibent, quam supra dixi reliquam esse à veteri castello Romanorum Magdeburgk, nunc in cœnobium D. Mariæ Magdalenæ commutato. Appellatur enim* der Hünen-Tohrn/ *veluti Tartarorum turris ad Albim in mœnibus hujus urbis ex adverso Aulæ Ar-*

læ Archiepiscopalis, posita a. d. 1239. ædificatur metu Tartarorum, quorum crudelitatis fama tum terrebat universam Germaniam. Et quia ex scapula & costa, ossibus corporis Hungarici viri, (in memoriam Hungaricorum bellorum posteritati in Magdeburga urbe suspensis, hac in templo D. Jacobi, illa vera D. Petri) non minus, quam ex mola Herculis, æstimari potest, Hungaros fuisse corporibus vastis atque proceris: ideo proverbiali locutione nostrates etiam hodie hominem prodigiosæ staturæ appellant einen großen Hünen. *Ab ipsorum etiam morum feritate ac vultu horrido Germanica vox remansit* Ungehür/ *quæ est affinis vocabulo Ungari.*

Sed redeo ad Ottonem: à quo tum temporis Hungari ita cæsi & dissipati sunt, ut, teste *Witichindo, dein per triginta annos in Saxonia non apparuerint.* Quin denique Otto in superiori Germania, Francorum Bajoariorumque copiis auctus, in campo Lechfeld prope Augustam, anno sec. X. quinquagesimo quinto, Hungaros, cum immensis copiis accedentes, tanta clade affecit, ut centum millia Barbarorum cæsa, nec intra ducentos annos quisquam Regum ante eum tantam victoriam obtinuisse scribatur. Non minus tamen ab altera parte contra Imp. Germanici & religionis Christianæ infensissimos hostes Slavos Otto Imperator fortitudinis & potentiæ suæ experimentis inclaruit, dicitque hic iterum *Adamus Bremensis* multa paucis, conferendo Henrici Patris & Ottonis filii res gestas: *quos*, inquit, *Pater ejus uno grandi prælio domuerat, ipse Otho tanto deinceps DEI adjutorio constrinxit, ut tributum & christianitatem pro vita simul & patria libenter offerrent victori.* Si verum tamen fateri volumus, Othonis quidem

l. 2. p. 18.

Hepid. ann. An. 8 p. 11,

l. 2. hist. Eccl. c. 3.

dem auſpiciis, Marchionum vero ejus Ducumque virtuti, pleraque debentur, & inter hos Hermanno Duci, Billingii filio, cujus abneptis Wulffildis, Henrici Nigri Ducis Bavariæ uxor, omnium Ducum noſtrorum, ab illo Henrico recta linea maſculina deſcendentium, magna Mater eſt. Illius enim Ducis Hermanni induſtriam, oppreſſosque ab eo Slavos, & trans Albim coactos, memorat ſæpius laudatus *Witichindus.*

Et hinc jam ad Ducum noſtrorum Progenitores, Lineæ maſculinæ, progredi, illorumque res contra infideles glorioſè geſtas exponere poſſem, niſi verbulo aliquid dicendum eſſet de Lothario Saxone, Imperatore, cujus filia Gertrudis Henrici Leonis ex Henrico Superbo mater eſt. Nondum tum Slavi nomen Chriſto dederant, ſed *de hominibus Chriſtianis hoſtias mactabant, & illorum ſanguine Deos ſuos delectari jactabant*, ut loquitur *Helmoldus.* Hos maſcula virtute compeſcuit Lotharius, & A. C. 1134. caſtrum Sigeberg, de quo multa idem *Helmoldus*, extruxit, *pro perſecutione paganorum in Chriſtianos*, ut habent ipſa Diplomatis Cæſarei verba.

Chron. Slav. l. 1. c. 52: c. 53.

Tandem igitur ad illos Principes, à quibus, nusquam intercisa gentilitate, Duces noſtri deſcendunt, mea delabitur oratio, & ſimul ad ipſos Turcos. Poſtquam enim Imperii Romani provinciæ diu per Saracenos graviſſime fuerant afflictæ, Turci inſuper ex Schythia advenientes, Aſiam imprimis, crudeliſſimis invaſionibus lacerarunt, Saracenorumque Calipharum diſcordiis in ſuam utilitatem converſis, imperium ſuum firmare cœperunt. Cum autem illi Chriſtianis in Oriente graviores quoque ipſis Saracenis eſſent, omnibusque

busque sancti nominis populis extremum excidium minarentur, occupata Terra Sancta, seu Promissionis, ut vocatur, & Hierosolyma, nunc à Sarracenis, nunc à Turcis, mox iterum ab illis possessa. Expeditio seu Bellum Sacrum in Concilio Claromontano anno sec. XI. nonagesimo quarto decretum est, annitente imprimis Urbano, Pontifice Maximo, ejus nominis secundo, plurimis Europæ Principibus cruce signatis, & ducentis millibus hominum simul euntibus, ut ipse occidens migrare in orientem videretur. Equidem vulgo hæc expeditio, & quicquid per eam actum, Gallis tribuitur, extantque hodie Historiæ belli illius, in unum volumen collectæ, quibus Editor, vir amplissimus, *Jacobus Bongarsius*, ad exemplum *Gviberti Abbatis*, titulum dedit: *Gesta dei per Francos*; nec negari potest, in regno Francorum hujus Expeditionis captum consilium, plurimosque ex illo Regno Principes militesque simul abiisse; id tamen nihilominus constat, ex Italis, Hispanis, Anglis, Danis, & omni pene Germaniæ parte, imprimis Alemannia seu Svevia, Bavaria, Saxonia, & Lotharingia, seu Belgica Germania, quæ tum tota ditionis Imperii erat, non paucos quoque, quâ primi, quâ medii ordinis, & ex plebe, interfuisse. Ipsum Gotefridum, Bullionis ducem, primum in ordine militiæ ducum, quamvis origine Francus esset, Principem tamen Imperii fuisse, & idcirco *officio dignitatis Ducem Teutonicum* recte, *Roberto Monacho* nominari, jam tum l. I.
ostendit *Reinerus Reineccius*, *in Appendice*, *ad Chron. Hierosolymit. Anonymi* (seu potius *Alberti*, Canonici ac Custodis Aquensis Ecclesiæ, cujus illud esse, post *Reineccium* observavit *David Hoeschelius* V. CL.) ad *lib. 2.*

c. 1. quamvis *Gotefridum* in illa expeditione Legatum Cæsaris egiſſe, & idcirco auctoritatem ejus in exercitu præcipuam fuiſſe, bellumque ipſum ad Imperii Romani dignitatem pertinuiſſe, non usquequaque mihi perſvadeat, vir aliàs doctiſſimus, & æternum hiſtoriæ in hac Academia, ordinisque ſui decus.

Paullo ante ex Italia veniens Azo, Marchio Ateſtinus, Cunizam Welficam uxorem duxerat, & cum illa amplum patrimonium acceperat, ex eoque natus WELFUS IV. cognomento Robuſtus, ab Henrico IV. Cæſare ſucceſſionem in Welfi III. Avunculi ſui Ducatum Bavaricum impetraverat, princeps acer bello, & magnanimus. Hunc ſine dubio etiam gloria ſtimulavit, ut militiæ ſacræ nomen daret; cur tamen non ſtatim cum Bullioneo aliisque iverit, cauſa me latet. Poſtquam vero, non uno loco Chriſtiani virtutis ſuæ tropæa, multis urbibus captis, & inter eas ipſa Hieroſolyma, erexerant, mortuo jam Gotefrido Bullioneo, ipſe quoque, anno ſec. XII. primo, itineri ſe accinxit. De qua expeditione merentur audiri verba *Conradi à Lichtenau*
ad an. 1101. Abbatis *Urſpergenſis: Mox profecto populoſa & quæ penè priori poſſet numero duntaxat æquari, ſubſequitur: quæ, poſt auditas ultra ſpem res Hieroſolymæ proſperè geſtas, à reſiduis totius occidentis gentibus, maximè ab his, quorum prius votis timor vel diffidentia, inopia, vel imbecillitas, obſtiterant, denuo parabatur, & primum ab Epiſcopis Mediolanenſi, Papienſi, cæterisq; Longobardorum populis ad quinquaginta millia ſignatis, deinde à diverſarum provinciarum Teutonicis: poſtremo ab Aquitanicis, quibus Wilhelmus Pictavienſis præerat, præter vulgus, ad XXX millia loricatis.* Cum hoc Wilhelmo, qui erat de ſanguine

gvine Henrici III. Imp. ſe ſociavit, ſuaque illi auxilia attulit Welphus Dux, pluresque alii ex Bavaria, Archiepiſcopus Salisburgenſis, Paſſavienſis, Ratisbonenſis, aliique, nec non Ita, Princeps Auſtriaca, Leopoldi Auſtrii mater, (quos memorat *Aventinus*) caſtris ſe junxerunt Chriſtianis, itinere per Bulgariam inſtituto. l,VI p.484
Non favit tamen fortuna conatibus tantis, exercitusque graviſſimè attritus eſt Alexii Imp. fraudibus, quod pluribus exponit modo dictus *Abbas Urſpergenſis.* Statim quidem inter initia à Duce Bulgarorum tranſitu ad Adrianopolim prohibiti ſunt, ſed ipſo Duce capto, vi ſibi viam fecerunt, Brachioque maris S. Georgii, ſeu Mari Propontico, ſuperato, in Aſiam trajecerunt, & non paucis præliis urbiumque expugnationibus, Phinimini & Salamiæ, hoſtes ulti ſint. At, conſumptis ex longo itinere neceſſariis vitæ, cum inedia & ſiti non minus, quam cum hoſtibus pugnantes, amiſſis jumentis, fuga fædam mortem aut triſtiſſimam ſervitutem redimere coacti ſunt. Et vix ipſe Welfus, Principis cultu abjecto, plebeja veſte effugere potuit, toto exercitu quaqua verſum diſperſo. Convenit quidem iterum Welfus cum aliis Principibus Antiochiæ, de re communi conſultaturi, quidam etiam Tortoſam urbem expugnarunt, Welfus tamen, voti reus, Hieroſolymam religionis cauſa adiit ſepulcrumque Dominicum vidit, unde patriam repetiturus in inſula Cypro obiit, Paphi ſepultus, quamvis deinde hæredes corpus effoſſum in Bavariam Altorfium detulerint, & in cænobio Weinſpergenſi honorificentius repoſuerint, ceu narrant Bavari duo inſignes Hiſtorici, *Joh. Aventinus* & *Joh. Aldsreiterus.* hiſt I. l,18 p.516.
Fuit ſanè Princeps magnus, & inter primos heroes

roes numerandus, quamvis infelici hac expeditione fortitudinem magis ostenderit, quam gloriam inde reportarit, involutus eadem, qua maximi Europæ Principes calamitate, qui in illis sacris expeditionibus non suos tantum, fame, siti, morbisque malignis, & peste ipsa malignioribus simulatorum amicorum dolis, perire viderunt, sed maximam partem in itinere longo, extra patrios lares, morbis occubuerunt.

HujusWelfi nepos, Henrici Superbi frater, WELFUS VI. dictus, itidem sacræ contra Turcos militiæ nomen dedit, cum Conradus III. Romanorum Rex magno exercitu, instinctu imprimis Bernhardi, Abbatis Claræ vallensis, in Syriam proficisceretur, Francorumque Rex Ludovicus eum mox cum suis subsequeretur. Plurimos Principes tum simul ivisse, ab Historicis annotatur, eosque inter *Gvelphum*, de nobilissimis regni optimatibus eandem militiam cum multis professum fuisse, narrat, qui ipse expeditioni interfuit, *Otto*, Frisingensis Episcopus,
c.40. Conradi Imp. frater, *lib. de Gestis Frid. I.* Et *Wilhelmus*,
l. 17. c. 1. Tyrensis Archiepiscopus, *in Historia*, Eundem generali curiæ, quam apud Ptolemaidem celebravit Conradus Imp. interfuisse narrat, vocatque *Virum illustrem & potentem*, quamvis, quæ fatalis fuit infelicitas, hæc quoque Expeditio *talem finem sortita* fuerit, ut aliis eum dicendum relinquere maluerit Otto Episcopus, cum, ut loquitur ipse, *historiam, non tragædiam scribere propo-*
l. 1. c. 61. *fuerit*, Helmoldus vero in *Chron. Slavor.* universos *fame & siti adeo contabuisse* narret, *ut incursantibus Barbaris ultro cervices præbuerint, Rege & validioribus quibusq;, qui neci superfuerant, in Græciam refugientibus*, dolo Legatorum Græciæ Regis intercedente, qui in de-

in desertum maximum eos deduxerat, cum in fines Persarum ducere debuisset, quæ etiam narrat *Arnoldus* l. 3. c. 10.
Lubecensis in supplem. Helmoldi.

Horum exemplo HENRICUS, SUPERBUS vulgo dictus, rectius MAGNANIMUS, ejusque filius HENRICUS LEO, fortissimi & potentissimi Principes, suæ virtutis bellicæ gloria sine dubio orientem quoque, more seculi, illustrassent, nisi fatalibus cum Romanorum Imperatoribus dissidiis, & hinc, æmulorum insidiis fracta potentia, imbecilliores, aut aliis bellis occupati fuissent. Henrici enim Leonis iter, quod splendido & magno plus quam mille armatorum, & aliquot Episcoporum, Abbatumque comitatu suscepit, quodque pluribus à Scriptoribus memoratur, & imprimis *Arnoldo* l. 1.
Lubecensi, religionis tantum, seu devotionis ergo, persvasione tum inter Christianos ita inolita, susceptum, satis constat, ut scilicet *pro peccatis suis sanctum viseret sepulcrum, & adoraret Dominum in loco, ubi steterunt pedes ejus*; refertque modo dictus *Arnoldus*, magnum c. 9.
hunc Ducem cum ab aliis Orientalibus, tum ab ipso Soldano Turcico benigne habitum fuisse; conatibus nihilominus ejus obstitisse Almericum Regem, & ipsos Templarios milites, quo minus utilem Christianæ Reip. operam navaret, ex *Galfrido Anglo, Sigeberti continuatore*, narrat *Reinerus Reineccius.*

Et vero, cur Saxonici Principes se bellis illis sacris, contra Paganos in oriente susceptis, non miscuerint, lubet hîc in antecessum verbis gravissimi Scriptoris, modo laudati, *Ottonis Frisingensis*, exponere: *Saxones,* l. 1. c. 40.
inquit, *quia quasdam gentes spurcitiis idolorum deditas vicinas habent, ad orientem proficisci abnuentes, cruces*

 itidem,

itidem, easdem gentes bello attentaturi, aſſumpſerunt: à *noſtris in hoc diſtantes, quod non ſimpliciter veſtibus aſſutæ, ſed à rota ſupterpoſita in altum protendebantur.* Quorum Cruce ſignatorum, in Slavos euntium, meminit quoque *Helmoldus in Chron.* eique expeditioni univerſos Saxoniæ Epiſcopos, & *Henricum* (intellige Leonem) *Ducem, adoleſcentem*, interfuiſſe, diſerte narrat. Quamvis autem Slavicum illud bellum abſque notabili effectu fuerit, propter Principum diſcordiam, ut *Otto Friſingenſis* notat, vel alias etiam ob cauſas, quas recenſet *Helmoldus*, tamen deinde Henricus, maturiore ætate & virtute, res maximas contra Paganos illos geſſit, *dominansque in univerſa terra Slavorum*, verè gloriari potuit in oratione ad Vicelinum Epiſcopum, *terram illam Patres ſuos, favente Deo, in clypeo & gladio obtinuiſſe, & ſibi poſſidendam hæreditaviſſe.* Nec minus *Obotritos* ſubegiſſe, omnique illi terræ Epiſcopos dediſſe, obtenta à Cæſare, (quod nunquam antehac factum fuiſſe memini) auctoritate *inveſtiendi illos per virgam, & recipiendi hominium*, narrat rerum in Slavia geſtarum peritiſſimus *Helmoldus Chron.* & poſt eum *Arnold. Lubec.*
c:68.
l. 2. c. 5.
in ſupplem. Quod nec latuit *Robertum de Monte Appendice ad Chronogr. Sigiberti Gemblac.* ubi ad An. 1169. ita ſcribit: *Henricus Junior, qui filiam Regis Anglorum duxit, ſuper Paganos, ſcilicet Slavos, & Vindelicos, tantum acquiſivit, quod ibi fecit tres Epiſcopatus.* Ubi tamen pro *Vindelicos* legendum *Vandalicos*, ſive ipſius *Roberti*, ſive deſcriptoris imperitia intervenit. Quamvis igitur contra Turcos Henrici Leonis nulla, contra alios tamen in occidente hoc Paganos tanto major & fructuoſior fuit expeditio, Chriſtiana religione latè per

hunc propagata. Filius tamen Henrici, & ipse HENRICUS dictus, felici dein matrimonio factus Palatinus ad Rhenum, bello sacro gloriosè interfuit.

Cum enim Imperator Henricus VI. A. 1195. incitatus â Cælestino Papa per Gregorium Cardinalem, in comitiis Wormatiensibus Sacram expeditionem decrevisset, exercitumque sexaginta millium de Svevia, Bavaria, Franconia, aliisque nationibus contraxisset, & ipse adornandæ expeditioni in Apuliam ivisset, multi quoque Episcopi, Principesque & Duces, & in his Henricus Palatinus, simul iverunt, magna felicis belli exspectatione. Sed, moriente interea Henrico Imperatore, quamvis omnes principes præsentes in Filii ejus Friderici fidem sacramento sese adstrinxissent, tamen dissoluto exercitu, sine magnis rebus gestis, omnes fere principes cum melioribus populi ad sua redierunt. Id tamen de Henrico Palatino narrare, intermittere non possum, cum Henricus Dux Brabantiæ super totum exercitum esset ordinatus, illi inter alia Urbis, seu Castri, Choruti, unius diei itinere à Tyro distantis, oppugnationem fuisse commissam, quæ feliciter sine dubio successisset, nisi discessu Cancellarii Conradi & aliorum Principum versus Tyrum fuisset soluta. In illa enim gravissima obsidione Henricus cuniculis per Hartzicos metallarios, suffodiendorum illorum peritos, muros disjecit, stupente toto oriente ad incognitum oppugnandarum urbium & disjiciendorum murorum modum. Dicam verbis ipsis *Arnoldi Lubecensis*, qui ita narrat: *Quia locus ille erat præruptus nimis, & quasi inaccessibilis, novum genus expugnandi, hostibus vero omnino incognitum, sunt aggressi. Fuerunt sanè ibi nonnulli de Saxonia,*

Saxonia, quibus erat notum, qua arte excavatur mons argentarius, qui apud Goslariam multis est cognitus (Rammelsberg) *Multo igitur labore expensaq; plurima opus illud aggressus est* (Henricus Dux) *præfectis quidem operis vigilantius insistentibus, cooperatoribus vero castrorum in gyrum reciproca vice sese alternantibus. Cumq; tali arte montem cavarent, appositoq; igne, prout libuit, muros cadere facerent, hostes exterriti nesciebant, quid agerent, dum castrum subrui sine tormento murorum viderent: ipsi tamen simili arte fodere cæperunt, sed laborantes nihil profecerunt.* Scilicet periti erant hujus rei Metallarii Hartzici nostri, & jam antea Henrici Palatini Pater, Henricus Leo, in obsidione castri Dasenberg, *cum omnem obsidionis & machinarum violentiam mons altior eluderet, viros industrios de Rammesberg vocaverat, qui rem difficilem & inauditam aggressi radices Montis perfoderunt,*
l. 2. c XI. ut narrat *Helmoldus in Chron.* Orientalibus vero populis ista opera militaria hactenus fuerant ignota, uti sensim sensimque per seculorum decursus crescens, his demum ultimis seculis, invento pyrio pulvere, Arsilla ad summum fastigium pervenit, & hodie ab Henrici Leonis posteris, Serenissimis Dominis nostris, valde amatur, novisque inventionibus indies adaugetur, stupentibus itidem orientalibus populis.

Subseqvuntur nunc ea tempora, quibus ambiguâ valde Celsissimæ Domus fortunâ, facere, quantum vellent, gloriosi Principes non poterunt. Henrici quidem Leonis filiorum alter, Henricus, Palatinatum Rheni acceperat, divite matrimonio auctus, alter Otto ad ipsum Imperialis apicis culmen ascenderat; accisa tamen per ablatos Ducatus potentia, ne ipso quidem patrimonio relicto

integro,

integra, ſuo ſe metiri modulo & pede tertius filiorum Wilhelmus, & ſecundis rebus ſervare coactus fuit. Poſt illius tamen obitum, cum favere iterum fortuna, ejusq; filius Otto, Puer dictus, Brunſvicenſi & Lyneburg. Ducatu à Friderico II. Cæſare inveſtitus, in hac Saxonia inſignem potentiam recuperaſſet, reſtibilis mox Leoninus vigor ſpiritusque exerere ſe cœpit, alteroque à reddita Ducali dignitate anno contra Paganos, non vicinos, (ne propagationem ditionis quæſiviſſe putes) ſed remotos in Pruſſiam expeditionem ſuſcepit. Scilicet Militis ordinis Teutonici ex Syria expulſi in Pruſſiam venerant, ibique non tantum terram Culmenſem, in quam à Conrado Maſoviæ Duce vocati fuerant, ſed magnam partem Pruſſiæ, ſuam fecerant, continuo tamen cum Paganis ipſis pugnandum erat, dubiâ ſæpe fortuna, ut Principum Chriſtianorum auxilia avidè exſpectarent & implorarent. Ad hos igitur juvandos propenſus, voto quoque ſe obſtrinxerat Otto, egregiorumque militum ſeptingentorum exercitu coacto itineri ſe dedit, opportuno tempore, cum ad anguſtias redactæ eſſent res Ordinis, & ipſe Magiſter Provincialis Hermannus de Balke in caſtro Balga, quod paullo ante expugnaverant, obſideretur à paganis Pruſſis, qui omni modo, excitato etiam è regione alio caſtro, Partigal dicto, aditum obſeſſis præcludere, fameque ad deditionem compellere nitebantur. Otto vero Dux tanta virtute obſidentes cum ſuis invaſit, ut obſeſſis itidem egreſſis, non liberaretur tantùm caſtrum, ſed pagani *ad internecionem delerentur, ita, quod unus ex eis non remanſit, qui eventum talem poſteris nunciaret*, ut loquitur *Petrus de Duisburg*, Ordinis Teutonici ſacerdos, in

Chron. Pruss., ante 350. amplius annos scripto, *part. 3. c. 26.* quamvis *Principem & Ducem de Brunschwig & de Luneburg* tantùm, nullo addito proprio nomine, vocet, à Nicol. *Jeroschino* tamen, qui Duisburgium Germanicè vertit, Ottonem diserte appellari, rectè animadvertat vir doctissimus *Christophorus Hartknochius.* Quo ipso de toto ordine & Christianis optime meritus, præsenti periculo eum eripuit, & dein ulterius cum illis progressus, Castrum Partigal expugnavit, & funditus evertit, firmataque in Balga sede, sœpius intra anni spatium præliis cum iis habitis eò necessitatis redegit, ut Warmienses, Nattangienses, & Barthenses fidei & imperio ordinis Teutonici Militum sese dederent, majore incertum illorum emolumento, an Ottonis gloria, qua reversus in Imperio claruit, dignus Henrici Leonis nepos. Ut vero sibi similes progenerant Leones, ita Ottonis filius ALBERTUS Magnus, ejusque Albertinepos LUDERUS uterque sacra hac militia, quæ tam feliciter Avo cesserat, inclaruerunt. De Alberto Magno id legitur in *Additam. ad Lambert. Schafnab.* & in *Monachi S. Ægidii Compilatione Chronolog.* editis à *Pistorio.* ad 1265. quod allatis de clade Militum Teutonicorum, occupatusque eorum castris, nunciis, cum Ottone Marchione Brandenburgensi, ejusque filio, & Alberto Landgravio Thuringiæ, multisque aliis in Prussiam contra Paganos cum signo crucis profectus fuerit. *Petrus de Duisburg* non simul hos venisse, sed Anno 1265. Ducem Albertum, & Landgravium Albertum, anno vero sequenti *Ottonem Marchionem Brandenburgensem, & filium ejus, & fratrem carnalem*; in eo tamen conveniunt, quod propter *lenitatem* seu *mollitiem hyemis nihil efficere* potue-

t. 1. Script. Germ.

part. 3. c. 120.

potuerint, sed derelinquere Christi fideles terræ Pruschiæ in magnis suis periculis coacti sint, cum tamen Otto ante abitum Castrum à nomine Marchionatus sui Brandenburg priùs ædificasset. Hujus Alberti Magni nepos ex filio Alberto, LVDERVS, militiæ saræ grave onus in Prussia secutus, Commendator in Christburg fuit, & hinc a. 1331. Magister Generalis Ordinis Teutonici factus est. Annos quidem quatuor tantum regiminis sui numeravit, multis nihilominus ædificiis, urbibus, & arcibus exstructis inclaruit, quæ tamen non uno modo ab omnibus numerantur. Apud *Buntingium ultimæ editionis Meibomian.* p. 233. Birshe, Konin, Kalisch, Siraz, Lantzilig, Spilenberg, Inglesslavia recensentur Urbem Bartensteiniam ab ipso ædificatam esse, ex privilegio fundationis Bartensteinensi urbi A. 1332. concesso, constare scribit *Hartknoch. ad Duisb. Chron. part. 3. c. 116.* quamvis ipse *Duisburgus* circa castrum Bartenstein civitatem à Theodorico de Aldenburg excitatam memoret, à Ludero vero Civitatem circa Castrum Ylsenburg conditam scribat. In *Supplemento Chronici Prussiæ Auctoris incerti* c. 22. *Luderus Magister generalis pacem fecisse scribitur*, & concordiam cum Rege Polonorum, redditis quibusdam terris. Verùm rectè notat doctissimus *Hartknochius*, factum id esse, non *Ludero, sed Ludolfo* König *Prussiam gubernante.* Si enim id an. 1343. contigit, Luderus jam mortuus fuit ante octennium. Anno secundo regiminis sui Konigsbergæ cathedralem Ecclesiam à S. Spiritu, quæ in veteri urbe erat, arx quondam, transtulit in Pregelmundam seu Kniphovium. Invenit autem deinde in eadem sacra æde sepulcrum suum, in muro chori reconditus, monumento adhuc hodiè inter alia Magistro-

rum Ordinis, & dein quoque Marchionum Brandenburgicorum, superstite.

Defuit deinde, decurrente seculo, occasio, qua contra Turcos suam fortitudinem, vel Christiano Orbi pietatem approbare possent Duces nostri, districti etiam ipsi aliis bellis cum vicinis, interveniente miserabili Friderici, ex hac Serenissima domo electi Cæsaris, in via publica, cæde. At mox secuta sunt illa tempora, quibus Turcarum potentia in immensum aucta, captâ Constantinopoli, & deleto Græcorum imperio, gravis Venetis, gravis Vngariæ esse cæpit, tanto deinde Germaniæ viciniore & certiore periculo, quo propius nexa, per Austriacos, Augustos nostros, Germaniæ Hungaria. Factâ tum sub Friderico III. horrenda invasione in Carniolam, vastatâque terrâ & abductis incolis, cum Imperator periculi magnitudinem prudenter expenderet, in Germania conventus Imperii indixit, & præsertim Ratisbonæ A. 1471. in Comitiis, numero Principum præsentium splendidissimis, communem expeditionem ursit, & subsidiorum rationem modumque iniit, cum alias per Epistolas Pontificem Maximum, & ipso quoque coronationis suæ tempore Nicolaum V. de Christianorum universali expeditione contra Turcos per *Æneam Sylvium*, Legatum suum, gravi Oratione (quæ in *Ejusdem Historia Australi* extat) moneri fecisset, piæque ipsius voluntatis, qua Christianos sub barbara servitute gementes per manum suam, aut filii sui Maximiliani liberare cupiebat, testes sint preces, quotidie ab eo ad Deum fusæ, quas ex libello ejus publicavit *Caspar Bruschius in Monasteriolog.* Obstiterunt verô tum aperta cum Palatino, tùm occulta Germaniæ Principum dissidia, quo minus bellum inchoaretur, aliisque etiam de causis

p. 86. p. 174.

causis amplissima illa Comitia Ratisbonensia sine effectu fuere, quarum aliquæ in *Joh. Antonii Campani ad Jacobum Cardinalem Papiensem Epistolis*, apud *Freberum* exponuntur. T. II. p. 147. Ejus quidem filius quoque Maximilianus, æmulis suis renitentibus, bellum inferre Turcis non potuit, (quod in memorabili cum Regibus Hungariæ, Bohemiæ & Poloniæ congressu, gravi oratione, quæq; audientibus lacrymas expresserit, conquestum esse, narrat *Cuspinianus*) cum tamen illi in Croatiam A. seculi XV p. 490. nonagesimo tertio irruissent, vastitatemq; minarentur, fortissimè restitit, & sua defendit. Et hic quidem memorandus nobis est ERICVS Dux Brunsvicensis & Lyneb. filius Wilhelmi. Magnus erat Princeps Maximilianus I, & prudentia paucis comparandus, & virtutis justus censor: Non temerè autem alium Principem habuit cariorem Erico nostro, pro quo per Legatos in Baptismo fidejusserat, nec alius melius de ipso, quod præfiscini dixerim, meritus fuit. Educatus in Aula Cæsaris à vigesimo ætatis anno, & ad militiam & grave Martis onus tanto auctore ductus, omnium bellorum, quæ plurima fuerunt, socius, in præliis Comes, in Ratisbonensi ferocissimo conflictu, Cæsaris, si à Deo discesseris, sospitator unicus, eum, cum ferrea clava percussus lapsum minaretur, alteri equo impositum periculo manifestissimo eripuit, fidelitatem suam ipse, non paucis vulneribus, & vitæ pene periculo, luens. Quo quidem finito prælio Cæsar Ericum solemnibus ceremoniis Equitem creavit, & insignibus Avitis caudæque Pavonis in Galea eorum conspicuæ, Stellam lucidam inseruit: Quæ hodieque sex radiis suis fulgurat, fidei in Cæsarem æterna testis, quam nunquam non Serenissima domus, & nunc

 quo-

quoque hoc novissimo bello evidenti documento probavit. Sed de ERICI fortitudine bellica, quam in Geldricis, Flandricis, Helveticis, Italicis bellis, duodecies justo prælio victor, toti Europæ exhibuit, alibi plenius dicendum erit; nunc enim prima tantum quasi tyrocinia, quibus vigesimo tertio ætatis anno contra Turcas Veteranorum Ducum gloriam æquavit, explicanda sunt. Evocaverat Turcos Comes Frangepanus adversus Emericum Croatiæ præsidem, facilesque illi ad talia totam Provinciam inundarant, rapinis ubiq; omnia devastantes, quibus ut celerrimè occurreretur, quindecim militum millia coacta sunt, iisque à Maximiliano junior hic Dux Brunsvicensis præfectus est, qui eo eventu conflixit, ut superato hoste, fusis multis, fugatis reliquis, Cæsari illustris victoria, Croatiæ libertas & tranquillitas, Erico maxima gloria cederet. In Breviario rerum à Maximiliano gestarum, quod tabulis inscribi, & in Aula Nova Oenipontana suspendi fecit nepos ejus Ferdinandus I. hæc N. IX. leguntur: *Turcarum ingens multitudo, quæ in Croatia & Slavonia cuncta ferro & igne vastaverat, solius ipsius auspiciis, ac aliorum ope nequicquam implorata, inde ejecta.* Rectè quidem, *solius Maximiliani auspiciis, ac aliorum ope nequicquam implorata*, ductu tamen, virtute, & prudentia militari ERICI Brunsvic. & Lyneb. Ducis ista perpetrata sunt.

Fuerunt sequentibus Cæsaribus bella cum Turcis gravissima, imploratisque ab iis in subsidium Principibus Imperii, nunquam quoque cessarunt nostri Duces cum aliis auxilia ordinaria submittere, non parum licet ipsi, fervente in Germania Religionis dissidio, Hildesiensi, Smalcaldicoque bello, & Brunsvicensi quoque, enervati.

nervati. Cum deinde aliquando Pax vel induciæ fuissent, sub Rudolpho II, Anno superioris seculi nonagesimo tertio, Amurathes, nulla tributi solvendi spe deliniendus, maximum bellum inchoavit, cui quidem ex omnibus hæreditariis provinciis collectum exercitum opposuit Cæsar, simul tamen per Legatos, cum ad Reges Christianos, tum præcipuè ad Principes Imperii missos, auxilia poposcit, nec frustra, magna ab his pecuniæ summa, & majori, quam unquam antehac, promissa. Non defuerunt quoque Principes, qui Ipsi, conscriptis militibus, bello pro salute Reipublicæ Christianæ gerendo interesse studerent. Quos inter ex Ducibus Brunsvico-Lyneburgicis, AUGUSTUS, Senior dein dictus, Raceburgensis Episcopus, Wilhelmi filius, Legionem equitum Cæsari adduxit, Strigoniique obsidionem masculè ursit, eamque invitus, ejusdem cum multis Principibus consilii, & ægerrimè solvit. Nec intermisit, aliquot annis elapsis, cum immanitatem Turcæ, & metuendos ejus, recepta Alba Regali, progressus, vindicaturus cum aliis Christianis Cæsar vires suas omnes ad Budam expugnandam converteret, alios iterum mille milites, unâ cum fratre suo FRIDERICO, adducere. Fuit illa oppugnatio nobilis, anno secundo hujus seculi suscepta, supremo Duce Hermanno Christophoro Ruefwurmio, ipso dein Archiduce Matthia in Castra adveniente, expugnationemque omni ope promovente, occupato jam Pesto, licuitque Serenissimis Fratribus plurima observare, quid in bello artes, quid igniariæ machinæ, quid fortium virorum virtus & prudentia possent, operumq; pars magna ipsi fuerunt. Quo minus tamen generose cœpta obsidio optatum eventum sortiretur, fortitudo ob-

obsessorum, sed potissimum anni incommodum tempus, mense Septembri inchoante, aëreque mutabili & inclemente, operibusque bellicis pariter, & gelido sub Jove manentibus copiis inimico, fecit, urbemque deserere coëgit. Nec minus ex altera stirpe Wolfenbuttelensi magnus Princeps, HENRICVS JVLIVS, fratribus Augustis RUDOLPHO & MATTHIÆ maxime carus, & ob prudentiam meritaque æstimatissimus, obsequium suum difficillimis illis temporibus probaturus, auxiliares copias suas in Hungariam misit, mille equitum, & bis mille peditum, easque tres menses suo stipendio aluit.

Sic igitur à tot seculis, ad usque Patrum nostrorum memoriam, semper Brunsvicensium & Lyneburgensium Duces iis se bellis miscuerunt, illiusque gloriæ partem habere voluerunt, quæ ex Christi nominis sanctique cultus propagatione & defensione nascitur. Neque vero minor Ducum, qui vel nostra memoria vixerunt, vel hodieque terras has feliciter regunt, ardor observatur: nec sacra illa cùm aliis quibusdam Principibus æmulatio cessat, sed deficientibus in vicinia infidelibus, tutò satis à Septentrione latere, ad Orientem conversi, Turcorum vim infringere, illorumque conatibus obicem ponere annituntur. Laudandis tanto magis hodie Principum contra illos expeditionibus, quanto difficilius omnes illæ olim in Palæstinam susceptæ excusantur. Si enim justa lance rem perpendimus, Romani quidem Pontifices, quorum in Christiano orbe maxima erat auctoritas, vitæ æternæ præmium illis proponebant, qui sacro bello initiandi cruce signarentur, idque non tantum ipse Principibus inculcabat, sed per emissarios suos,

os, homines devotos, monachos, eremitasque, vulgo passim prædicari faciebant, incredibili hinc multitudine confluente: non tamen bellorum illorum justitia ita manifesta est, quin potius superstitiosum & nullius momenti videtur, dicere, terras illas, quas olim suis cunabulis; suæ in his terris moræ & sanctissimæ vitæ; suæ à Christianis nunquam satis æstimandæ morti; suo sepulcro; & gloriosæ non minus, quàm proficuæ nobis resurrectioni & in cœlum ascensioni, certo & nobis non penetrando consilio, destinavit CHRISTUS, illas, inquam, terras eripiendas esse, vi & armis, Possessoribus suis, qui Christum non agnoscunt, & omnem ejus doctrinam ludibrio habent, cum nullum hujus rei à DEO habeamus mandatum, idem vero jubeat, & recta ratio suadeat, suum cuique relinqvendum esse. Tantum sanè abest, ut quis cœlum mereri tali sacra ad recuperandam Palæstinam militia possit, ut merito pius quisque & prudens dubitet, an salva conscientia arma sumere contra illos possit, qui nihil sui possident, & à quibus nulla injuria lacessitus. Horret penè animus cogitare illa bella Christianorum, per ducentos annos in Oriente nulla justa de causa gesta, tanta cum sangvinis ab utraque parte effusione, tot myriadùm miserabili interitu, DEO nunquam ferè armis illis benedicente, impietate etiam passim inter ipsum piæ & sacræ militiæ nomen transparente. In Occidente, quoniam à Barbaris illis gentibus, in alienas terras sese effundentibus, semper Christianis erat metuendum, alia videbatur ratio, suscipiendi contra finitimos belli, defendendorumque finium impositâ quasi necessitate. Et sic quoque laudanda Pontificum Romanorum, postremorum seculorum, consilia & conatus,

qui Saracenorum & Turcorum observantes progressus, exspectare noluerunt, donec Tiberi appropinquarent, & Capitolio, sed mature avertere ab Italia, concitatis contra eos Christianis Regibus, voluerunt. Laudandi hoc nomine cum alii Pontifices, qui sub Imperio Friderici III & Maximiliani I. id egerunt, tum maximè, ante hos centum annos, Pius V. qui & ipse cum Philippo Rege Hispaniæ Venetisque belli contra Turcas gerendi societatem iniit, aliosque Principes Christianos, non Imperatorem tantum, & Galliæ, Lusitaniæque, sed etiam Persarum, Æthiopum, & Arabiæ Felicis Reges & Moscovitarum Magnum Ducem, Genuensemque Rempubl. & Melitenses Equites, ad bellum terra mariqúe contra Turcam gerendū incitavit, missis cum legatis, tùm litteris, quæ insigni gravitate & zelo scriptæ supersunt. Planè, ut hodie Innocentius XI. Pont. Max. nulli operæ parcit, nec thesauris suis, ut, Christianorum Regum adunatis viribus, Turcæ potentiam ita frangat, quò molestus esse vicinis suis desinat, & de turbanda Italia Christianoq; orbe cogitationes suscipere nequeat. Cum enim Mahumetani bellum in Christianos semper licitum esse, & in illo militantes æterna præmia mereri credant, Imperatores Ottomannici dominandi & imperii extendendi quoq; cupidi, militem paratum & numerosum ad manum habeant, quis prudentior non à vicino Principe, qui & velit & possit nocere, metuat sibi? verâ nunquam inter potentes & invalidos, sed simulata tantum, quiete. Quis non de eo in ordinem redigendo cogitationes prudenter & maturè suscipiat? Quis, porro, solis illum Venetis solique Hungariæ excidium putet servitutemque minari? quis non potius cùm Poeta:

Atque adeo hos quoq; si vincat, nihil abfore credat,
Quin omnem Hesperiam penitus sua subjuga mittat,
Et mare, quod supra teneant, quodque alluit infra.

Quod si forte interdum necessitate cogente pacis aut induciarum se subjiciat legibus, de extirpanda tamen Christiana gente nunquam non cogitationes suscipit, & proinde illi quidem, quibus vicinus est immanissimus hostis, magis, quod metuant, habent, non minus tamen remotiores alii, exemplo Vlyssis in Polyphemi antro, ultimi quidem in ordine, sed devorandi tamen.

Cum igitur ante hos duos & viginti annos totis viribus Hungariæ regno incumberet crudelissimus hostis, & jam, capto Neuheuselio, vastis cogitationibus de Danubio ad ostium usque suum subjungando, & vastanda Germania, indulgeret, Duces Brunsvico-Lyneburgici, AUGUSTUS, CHRISTIANUS LUDOVICUS, & GEORGIUS WILHELMUS, periculum imminens æqua lance perpendentes, communicato cum conjunctis, ex Francofurtensi fædere, Principibus consilio & viribus, septem Legionum exercitum simul, Duce supremo Comite WOLFGANGO JULIO HOHENLOIO miserunt, omni bellico apparatu instructissimum, qui cum alibi, tum imprimis, in illo maximo prælio ad S. Gothardum 1. Aug. die 1664. felici-

ter commiſſo, virtutis ſuæ bellicæ, quâ Duces, quâ milites, ſpecimina plurima ediderunt, eo eventu, ut non tantum fugato hoſte, cæſoque exercitatiſſimo Janiſſarorum milite, victoria tum ingens reportaretur, ſed etiam pax non diu poſt hoſti exprimeretur, totius Chriſtianæ Reip. bono.

Nec tamen ita fracta erat Turcæ potentia, ut non alibi, in inſula Creta, gravis eſſet Venetis, gravior etiam nunc, viribus coadunatis. Et jam continuo viginti quinque annorum bello ſuccumbere immenſis ſumptibus, & alendo tam copioſo militi, opulentiſſima licet, Reſpublica Veneta videbatur. Et tamen quieſcere penè, vicini pariter & remotiores, nec periculum ſatis perpendere, pari deſidia, ac olim, ſomno quaſi ſopitis Regibus ac Principibus, capta eſt Conſtantinopolis, & Orientis imperium ſubductum Chriſtianis, errore nunquam ſatis pœnitendo. Fuerunt tamen, qui juſto tandem rem tantam examine trutinarent: & tum quoque Sereniſſimorum Ducum noſtrorum erga publicum bonum prudens propenſio, & erga Rempubl. Venetam ſingulare ſtudium apparuit, quamvis remoti eſſent, nec commercia maritima illis ulla. Tres Sereniſſimi Fratres, pari prudentia, pari affectu, GEORGIUS WILHELMUS tres legiones, JOHANNES FRIDERICUS unam, ERNESTUS AUGUSTUS inſignes quoque cohortes, duce JOSIA, WALDECCIO COMITE, eximio Heroe, ſubmiſerunt: quorum virtus ita enituit, ut niſi in animam jam agentem Inſulam perveniſſent, conſervare illam potuiſſe crediti ab omnibus fuerint, loquente illorum fortitudinem imprimis Munimento S. Andreæ, fuſo multo generoſo ſanguine, ipſius etiam Waldeccii.

Illo

Illo ex tempore à Barbaris hoſtibus quies, & enatis inter Chriſtianos bellis, Germaniaque totâ armata, & inter arma diviſâ, tuendis finibus ſuis, defendendæ Principum libertati, reducendæque quieti operam dedit Sereniſſima Domus, ingentemque exercitum magnis ſumptibus aluit. Simul ac tamen ad Danubium fauſtos infidelium progreſſus advertit, ut, vix dum defenſa Vindobona, Imperatoria ſede, Buda fruſtra obſeſſa, exitium Ungariæ, vaſtitas Germaniæ, periculum toti Chriſtiano orbi impenderet, potentem manum, Albis hactenus & Viſurgis tutamen, liberando Danubio ſubmiſerunt. Nec Cæſari tantum omnes Principes noſtri, vincùlo Reipubl. nexi, ſed Venetis quoque ſeorſim ERNESTUS AUGUSTUS plures legiones miſit, in Græcia ipſa Turcas oppugnaturas, ut nullibi non Ducum gloria ſeſe exereret. Non dubitamus, DEUM affore piis conatibus, à quo omnes triumphi pendent: quantum etiam humanâ conjecturâ aſſequi valemus, non niſi Victorias ab illo inſigni exercitu nobis promittimus. Non enim ex promiſcua plebe, tumultuario coactus, non ab aratro noviter abſtractus miles, ſed veteranus penè omnis, quem dudum uſus & duri vario ſub Marte labores, ad Albim, ad Viſurgim, ad Oderam & Moſellam, fallor? an ad ipſum Danubium, & in Creta olim, pugnis, victoriiſque excoluerunt. Ne de peritia Tribunorum, prudentia Ducum, habitu decenti militum, copia armorum, tormentorum & igniiarii operis abundantia quicquam dicam. Et nunc omnes imprimis animat, quod Sereniſſimi Principes juniores ſimul eunt militatum. Quis non ex gregariis quoque credat, illius exercitus magnam fore impoſterum curam, cui ex Ducali ſanguine Caput, tanquam pignus, da-

tur? Neque vero, ceu quondam ad primum illum Thracicæ tempestatis turbinem, & superfusæ Barbariei diluvium, hodie amplius trepidamus. DEUM enim nos nondum deserere, docuit Vindobonæ, memoranda Annalibus, liberatio. Venetorum quoque vela à pristina adhuc fortuna inflari, pectoraque illorum avita virtute accendi, docuere præludia maritima, omine, nisi fallor, felicissimo. Capta est nuper Prevezza, victoriæ quondam nomine nota, & Nicopolis dicta, ab Augusto Cæsare in monumentum Actiacæ Victoriæ extructa. Nunc illa victrix classis Hellesponti faucibus minatur, & per tot secula libertatis parens à Græcia quondam libera Barbaricum jugum excutere nititur. O! sit per Nicopolin captam erectum victoriarum perpetuum signum, illoque in mari, quot bellicæ hodie Venetorum naves visuntur, tot victoriæ paucos intra annos numerentur!

Sed desino in nostris Ducibus, qui nunc eadem opera Austriacos Venetosque beneficio, omnes Principes obstringunt exemplo. Sit Domus Serenissima Brunsvico-Luneburgica semper infidelium inimica persecutrix, sit hostis hostium Christi, finesque patrios ab irruptione Barbarorum tutari satagat, nec unquam illi tituli in posteris consenescant! Probent Juniores Principes piis his experimentis fortitudinem suam DEO, illoque auctore bellare discant!

Ite alacres! nam Vos majoribus ire per altum
Auspiciis, manifesta fides, quando impiger ævi
Sanguis

Sanguis adhuc, solidaq; suo stant robore vires.
Consulite in medium, & rebus succurrite fessis.
Illyricos penetrare sinus, regnare per urbes
Argolicas, mediosq; viam tenuisse per hostes,
Cura sit una Ducum, pergant ipsiq; Nepotes
Tutari patriam, & Turcorum exscindere gentem!

Corrigenda.

p. 6. lin. 10. pro 1032. l. 1302.



PRÆMATURUM OBITUM
Carissimæ Sororculæ
CATHARINÆ MARIÆ IOHANNÆ MEIBOMIÆ
lugent
DANIEL HENRICVS
HERMANNVS DIDERICVS
CHRISTOPHORVS ANDREAS
MEIBOMII FRATRES
HENRICI FILII
Nata est. 16. Iunii. 1676.
Denata 9 Febr. 1677.



HELMESTADI,
Typis HENRICI DAVIDIS MULLERI.



INgenui Iuvenes, queis multum provida mite
Natura ingenium & mollia corda dedit,
Si quisquam inter vos, qui vidit acerba sororis
Fata suæ, & gelida contumulavit humo.
Adsit, & antiquos repetens nunc mente dolores
Ad lacrymas nostras addat & ille suas.
Et meliora etiam ad tristem det carmina tumbam,
Quæ nil languidulum, nil puerile habeant.
Nos pueros luctus, nos ignorantia tardat.
Solus amor streperos trudit ab ore sonos.
Accipe fraternos, dulcis Soror, accipe fletus,
Hoc capite, his oculis carior una Soror.
Iure quidem Patris & Matris præponimus ignes:
Palma tamen nobis altera in amore manet.
Te, ceu rivales, nos inter amavimus omnes,
Primus amore tui quilibet esse volens.
Somniferos quondam ad cunas tibi pandere lallos
Cæpimus, ut tegeret lumina blanda qùies.
Nunc damus ad tumulum lacrymas, feraleque carmen,
Dum tua sunt (eheu) lumina clausa nimis.
Lumina, quæ radiis vincebant sidera, & omnes
Eoi gemmas occiduique maris.
Quo calamo tua scribetur concinna venustas?
Quis tua de Pario marmore membra canet?

Illud

Illud frontis ebur, quæ quanto latior extat,
Tanto plura bonæ munera mentis habet?
Quis teneros risus, & mollia murmura dicet,
Tortaque in angustos pulcra labella sinus?
Illas blanditias vultus, oculosque loquaces,
Queis poteras mentem prodere muta tuam?
His tenerum nobis contestabaris amorem,
O soror, ô patriæ lucida gemma domus.
In te splendebant venturæ semina mentis,
Semina magnorum non temerata patrum.
In te virtutes, pietas, probitasque, pudorque
Sperabant sedes mox se habitura suas.
Nemo puellares assurgere vidit in iras:
Nemo malæ in vultu signa inimica minæ.
Et fuit in morbo patientia mira tenellæ:
Non lacrymam elicuit tussis anhela tibi.
O! quoties nobis Mater: sic vivite, dixit.
Exemplum valuit nobile nemo sequi.
Hinc, seu blanda genas, seu proxima colla Parentum
Brachiolis peteres, basiolisque tuis,
Præripere affectus nobis Genitricis amatæ,
Et totam poteras conciliare tibi.
Risimus, & nunquam livor nos ussit amarus;
Quin fuit hinc noster sic duplicatus amor.
At nunc, Cara, jaces, extremo frigore tacta
Eque tuis labiis purpura nulla micat.

Moesta

Moeſta Parens clamat, dum cunas cernit inanes.
At dum ſarcophagum, victa dolore cadit.
Angulus in Patriis non ædibus ullus, ubi non
Quæratur nobis voce oculisque Soror.
At MARIAM fruſtra, fruſtra querulo ore ciemus,
Feralis noſtrum poſſidet arca decus.
Et tamen in ſomnis tua dulcis oberrat imago,
Et MARIAM in ſomnis murmura noſtra vocant.
Vna quidem moreris MEIBOMAE filia ſtirpis,
Sed gemitus plures ad tua buſta trahis.
Te Genitor, Genitrixque, Agnataque nomina deflent.
Te fratrum incompto carmine triga gemit.
O juvenes, ſi quis vidit quoque buſta Sororis,
Ad lacrymas noſtras addat & ille ſuas.

